



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Pastoris catholici persecutio pro martyrio computatur. tit. 5

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

TITVLVS V.

Catholicus, Catholicus inquam, non sectarius: illū enim iubet scriptura deuitare, ad Tit. 3. Hæreticum hominem &c. Summa, in vnitare & pace esse debent Sacerdotes & plebs: alioqui non suscipitur à DEO Sacerdotis oratio, neque plebis oblatio. Christus inquit Matthæi quinto. Si offers munus tuum &cæt. vade reconciliari, &c.

PASTORIS CATHOLICI PER-  
*secutio pro martyrio computatur.*

TITVLVS V.



Rimò, Martyr coram Domino est qui-  
cunque amore Dei propter actum ve-  
ritatis moritur. Nam inquit Christus  
Mat. 5. Beati qui persecutionem patiun-  
tur propter iustitiam. Est autem omnis  
virtus, iustitia, id est, castitas, charitas, patientia, obe-  
dientia, fides, temperantia, modestia, constantia, ti-  
mor Dei, &c. Galat. 5. fructus Spiritus, & Esai. 7. Do-  
num fortitudinis, consilij, sapientiæ, &c. Hinc est, qd  
Ecclesia multos tanquam martyres veneratur, qui  
non pro confessione fidei, sed alterius virtutis actū  
mortem susceperunt. Sic Ioannes Baptista propter  
adulterij reprehensionem gladio occubuit, Marci &  
Sic Laurentius, quia pauperibus commissum thesau-  
rum distribuit. Sic Matthæus Apostolus & Euange-  
lista, quia virginitatis vorum matrimonio prætulit,  
& Ephigeniam Deo sacratam virginem, ab Hyrtaci  
regis copula prohibuit, iussu eiusdem Tyranni ferro  
interemptus est. Sic Hermigildus, quia Eucharistiam  
ab Arriano Episcopo accipere noluit, iussu patris in-  
teremptus est. sic Thomas Cantuariensis pro liberta-  
te Ecclesiæ occiditur. Sic etiam pastor Catholicus, si  
pro Catholica doctrina occiditur, pro martyre cõpu-  
tatur. Est enim obedientia Ecclesiæ catholicæ, magna  
virtus & iustitia: Ergo si quid pastor & oues patiuntur  
pro con.

pro confessione catholicae obedientiae, pro martyrio computabitur. Iacobi primo: Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, scientes & caetera.

Secundò, quoniam multi homines patiuntur saepe mortem, Alij propter perituras diuitias acquirendas, vt in nauibus, latronibus, nemoribus, in vijs, à raptoribus: Alij propter momentaneas voluptates, vt fornicarij & adulteri saepe se exponunt mortis periculo: Alij propter patriae liberationem: Alij mundanum honorem: Alij Rempub. aut quamlibet mortalem iustitiam. Ideò plus debet catholicus pastor propter obedientiam catholicae doctrinae & Ecclesiae, ac capitum Ecclesiae, offerre vitam. Nam pro hoc aeterna corona & beatitudo est promissa, dicente Christo Matt. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Non sunt curanda conuitia haereticorum, infr. 216. tit. Conuitia Haeret. in Catholicos.

Tertiò, magnum hoc gaudium esse debet Christiano, quem alias oportet mori, iuxta illud Hebr. 9. statutum est homini semel mori, si propter iustitiam aut aliam virtutem patitur mortem, & praue nit etiam modicum tempus mortis naturalis. Nam hoc est electionis diuinae signum, quo certius ad palmam & coronam aeternam vocatur. Ideò Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij, ad Philipp. 1. In nullo terreamini ab aduersarijs, quae est illis causa perditionis, vobis autem causa salutis. Et hoc ideò, quia est vobis datum à Christo, &c. 1. Pet. 4. Nemo vestrum patiat ut sur, maledicus, homicida, aut alienorum appetitor: Sin autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine, quia tempus est ut incipiat iudicium à domo Domini. Si autem primum à nobis, &c.

Quartò, August. serm. 232. de tempore: Nemo dicat,

TITVLVS VI. H

eat, quòd istis temporibus Martyres non sint. Quicunq; pro veritate testimoniũ dederit, quicquid pro veritate & iustitia sustinuerit, totum ei Dominus pro martyrio computabit. Sic qui ebrietati resistit, sectis contra obedientiam Ecclesiæ catholicæ machinantibus, falso testimonio, & c. si pro hoc aliquis pertulit tribulationes, omnia ei Dominus ad martirij gloriam reputabit, Matt. 5. Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti, & c.

*AN CATHOLICVS CONCIONATOR, meritò arguat obstinatos Schismaticos.*

TITVLVS VI.



Rimò apud August. Epist. 48. tractatur hæc quæstio, ex quo Apostolus admonet ad Tit. 3. deuitare hæreticum hominem, an Catholicus cõcionator debeat eos derelinquere & non arguere, neq; eorum sacramenta, cæremonias, cultum taxare. Et dicit primò, q̃ sacramenta non faciunt hæreticum vel schismaticum, id est, Baptismus, Eucharistia, opera, cæremoniæ, cultus, & c. sed praua dissensio extra vnitatẽ & concordiam, quæ facit, quòd inutiliter habeant illa quæ sunt sicut medicina sine operatione, 1. Cor 13. Si non habuero charitatẽ, nihil prodest. Habet vsurarius pecuniam, habuit Herodes Herodiadẽ, Mar 7. Habet fur furtum, sed ad pœnam inutiliter.

Secundò inquit August. Epist. 164. Non inculpamus quod nobiscum habent commune, id est, Baptismum, Eucharistiam. In multis enim nobiscũ estis, id est, prædicatione verbi, cæremonijs, ferijs. Et id commendamus ac veneramur. Sic Dauid veneratus fuit vnctionem Saul regis, 1. Reg. 24. Et Paulus Actorum 23. se excusat quod maledixisset summo sacerdoti & cætera, sed dolemus & clamamus, quia hæc inutiliter habetis,